

## RÉVAI MIKLÓS LEVELEI PAINTNER MIHÁLYHOZ.

— Hatodik közlemény. —

52.

Nicolaus Michaeli, Amico Suo Suauissimo.

Ad postremas tuas literas nihil rescripsi: quod spem mihi inieceris, vt tecum Sopronii citius conueniam, quam ego te in Tusculano tuo inuisam. Sed ecce neutrum horum contigit. Ita res meae involuebantur, vt Sopronio non tam abirem, quam profugeram. Insidiae mihi struebantur praesertim a Comite Ignatio Festetits: qui filiolum suum, aliquanto viuaciorem, magnopere auebat et porro sub mea seueriore disciplina esse. Molestissimam prouinciam debui fuga declinare, vt totus meus sim, et literulis viuam. Etiam Consilium Locumtenentiale ingenti me labore voluit obruere. Vályi, Regiae Vniversitatis Professor, altiore iussu iam ante triennium conscripsit Grammaticam Hungaricam in vsum Latinarum et Nationalium Scholarum. Huius operis editio non est admissa, antequam Auctor iudicia Literatorum Hungariae non conquisiuisset. Tunc ego me pulchre subduxi ingrato operi. Recurrit ad alios, et collecta habuit multorum iudicia, *Rajnisii*, *Jordanskii*, *Szuhányii*, *Schedii*, *Dugonitsii*. Sed cum Szabóne lis illi acrior exorta est. Comissio Literaria iam opinionem debuisset de his Vniuersis deponere. Quid autem fit? Ecce tibi farrago scriptorum, quae libras quinque ponderavit, per Postam Sopronium transmittitur ad Directorem Wolfgangum Tóth, vt cum Nicolao Révay, qui Sopronii degit, super vniuersis concertet, et Reflexiones suas via directa quantocuyus submittat. Multas habui causas, quare arcana Linguae, im:probo labore euoluta, ingratis hominibus his quidem Reflexionibus, pandere non potuerim, „*Kapálj kúrta, neked is lesz.*“ Eo ipse potius meum partum. Vt quid graculus alter meis pennis niteat? Aliquid scripsi tamen breuiter, et tantum iudicaui, quanta apud me lateant. Opportune potui morbum meum caussari; disceptationi longiori me committere non possim. Badenas properaui ad curandam valetudinem, inde Viennam me totum contuli. Wolfgangus comitabitur scriptum meum apta excusatione. Abegit me praeterea Sopronio ingens rerum caritas et Viennae priuatus multo comodius possum degere: multo etiam vtilius, in bibliothecarum frequentia, et typographiarum copia; at vero multo etiam iucundius in Patronorum meorum sinu. Non possum verbis exprimere, quam amice, quam plane fraterne me complectatur suassissimus meus Somogyius. Bene praedixisti, non illum offendi facto meo, quod ingratum Horvatum neglexerim. Immo gratulationem expertus sum non mediocrem, quod Viennae me videat. Non defuerunt et alii, qui mihi certatim conditiunculas procurarent. Sed me his obrui non sum passus, ne literulis meis iterum eriperer. Contentor quotidiano stipendio ad Sanctum Stephanum. Deinde vni Puellae Nobili quotidie horulam consecro in Linguae Hungaricae institutione. Sed ride, amice! quantum ridere potes. Ad quam domum tulit me fatum! Ad Principem Grassalkovitsianam, quae neptem suam, natam ex Forgátsiana, in aula sua educat, mortuo patre orphanam. Haec est Discipula mea.

Indignor Görögio, quod in dispergendis carminibus in Obitum Denissii adeo segnis fuerit. Principi Ipsilandio ipso Michaelis die gratificabar exemplari vno, sibi antea non viso, et inaudito. Experiebar Viri solatum, et affectum erga me. Onomasticum tuum diem praeueni amicis votis cum Somogylo meo in Dornbach, inter suauissimas confabulationes, quo me secum euehi voluit ad fraternalm prandiolum, in straminea sua viduitate, vt Germani dicunt, Comitissa iam in Hungariam abeunte. Ipse quarta Octobris sequetur. Praebuit se mihi totum suauissimus Patronus ex altero die, excursione ad Schönbrun, amico itidem prandiolo, et iucundissima deambulatione. Viuo isthic in deliciis meis, totus meus, totus Patriae. Fauet nunc certe etiam valetudo. Prouentus mei tanti sunt, quanti homini non auaro, et paucis contento, abunde sufficiunt: ad tercentos florenos Pensionis accedit quotidianum certum stipendum, accedunt menstrui tres aureoli a Grassalkovitsiana. Si hi defecerint, providebit Deus per Amicos de suppiemento. Reliquam Patronorum munificentiam conuerto in editiones scriptorum meorum. Si me literis tuis beare volueris, dirige eas ad vetus hospitium meum: *Im Bischofgassel, bey'm silbernen Schiff, im 4-ten Stock.* Nymphae elegantulae, innocentes animulae, quae aliquando tuam etiam Praeposituralem Dignitatem mouerunt, vt in me nequiero iocareris, domo euolarunt. Natu maior nupsit secundo, at feliciter cuidam de Cancellaria Bohemica. Minorem vero matris soror, improlis foemina, filiam adoptauit. Non est ergo, quare mihi metuat. Pater, et mater, prouecta iam aetate, homines probi, magnopere me diligunt, curamque mei habent singularem. Oeconomia mea Budam se contulit ad filiam suam, quam a se tam longe diuulsam iam multum gemuit. Doleo, optimae mulieri quatuordecim annorum seruitia, mihi fideliter praestita, praesertim in morbo meo statu, me non satis potuisse remunerari. Quid tua Theresia agit? vt valct? Onomasticum eius diem praemio votis omnibus. Aloysiae gratulor de marito bono. Patres Zirtzenses, optime de me meritis, multum reuereor. Saluto omnes, quos mei meminisse nondum piget. Te exosculor, et Canonicum Veszprimiensem esse cupio. Vale, et me porro ama. Vienae 1 Octobris 1801.

## 53.

Nicolaus Michaeli Suo Salutem.

Nuper tibi epistolam scripsi satis prolixam. Nunc celeri manu haec breuiter adjicio, totus in lactitiam effusus: addictissimum robis *Somogyium*, secunda Octobris, a Sua Maiestate Sacratissima, in Noua Ministerii Organizatione, denominatum esse Status et Conferentiarum Consilium; relicto in priore activitate sua etiam *Izdentzio*. Somogyio optimus quisque magnopere gratulatur, ob hanc insignem, et Salutarem Patriae Promotionem, Vale, et me ama. Vienae 4. Octobr. 1801.

Clarissimum et Excellentem Medicum Vestrum *Heislerum* multum reuereor: cuius Insigni Opere me apud Somogyum et hodie oblectau. Saluto et *Takátsium*: Velim, vt valetudinem diligentius curet et Patriae amore, in cuius commoda vitam habet adhuc consecrandam.

54.

Nicolaus Michaeli Amico Suauissimo.

Vide, quid postremis tuis literis acciderit, quas mihi tradidit tabelarius, per gradus descendantem obuiam factus, cum ad prandium irem ad Patronum meum. Inter eundem, rupi sigillum et legi auidissime, quod potui, tantum initium iucundissimae tuae litterae. Ad rem erat. Gratulationem tuam illico retuli Patrono. Ille, tui, rerumque tuarum aestimator singularis, statim ipsas tuas literas cupidius flagitavit. Non potui negare. Legit itaque et ille initium, sed alteram etiam paginam vertit, quod ego non potui. Sumto prandio, deambulatum iuimus ad nouum aquae ductum: ad quem cum familiarius consedissemus, iterum tuae litterae sunt productae, et perfectae vsque ad calcem, me tantum audiente, et ad ea, quae mea quidem modestia tacenda voluisse, partim subridente, partim admirante Patroni mei aequitatem. De gratulatione gratias tibi agit. Honorarii Sacerdotis imprudentiam in crisi sua temerarie perscripta multum culpauit. Ad illa, quae mihi subrosa suadebas de Siligeneo, eiusque commensali, ita placide risit, locutusque est, vt nouo iterum argumento confirmarer, horum quidem blaterationibus nihil mihi apud illum offici posse. Sed neque blateratur quidpiam, cum iste sciatur adeo mihi affectus esse, vt, quidquid aduersum producitur, potenter refuret, reiiciatque. Siligeneum porro nec tibi adeo infensum esse obseruo, vt tu putas. Habes tu recens omnino mitioris animi documentum: quod, vt audio, hospitium tibi cesserit in Domo sua canonicali. Quidni igitur et tu mitior in ipsum esse incipis?

Cum Würthio, qui te reueretur, rem omnem confeci, iuvante etiam Patrone meo. Ea omnia, quae desideras, ipsa adeo candelabra vtraque, et simplicia, et brachiata, orbiculosque, habebis pretio mille florenis leniore, florenis nempe 960. Est praeterea Würthius ea animi aequitate, et moderatione singulari, sicut se vltro declarauit: vt, si tibi aliqua eorum non placent, ea secure possis remittere.

Ex domo Principis Grassalkovitsianaem omnes, quorum amice memini, salutem tibi reddunt cumulatissimam, præsertim Francisca, fidelis nunc quoque oeconomia tua, licet fata non sinerint. Aegrotat misera. Salutant te praeterea Hoffstätter, Arming, et Wittmann venerandus sene-  
cio, qui me suauitate sua totum rapuit, etiam Custos Sensel, cuius Schaediasma de reliquiis Denisianis hic tibi acclusum transmitto. Quae non habes, dabo operam, vt per eum obtineas, saltem in copia, si ipsae origines haberi non potuerint. In Theresiano linguam Hungaricam iterum Caluinista docet, quidam Bölény, si recte memini, Transiluanus, post Kerekesium illico intrusus. *Non me trahit haec Sparta, nullum enim est in eo collegio solarium.* Neque patronus probat hoc consilium. Bene habes: Görögium Caluinistæ circumsistunt, quorum societatem, vt ingenui fatear, et ego dedignor. Accedit praeterea et hoc: quod mihi, si illis iungerer, nouae obmouerentur molestiae. Volo autem pacatissimus viuere, sorte etiam infra mediocritatem contentus, quae mihi non possit inuideri,

sic omnino, vt tu facis, *obscuro positus loco, aetate*, quae mihi reliqua est, *per tacitum fluente*.

Placuit mihi tua sollicitudo; quod me mandatis tuis occupatum esse volueris etiam valetudinis meae caussa, vt cursitationibus a continua sessione abstraherer. Sed, heus tu bone! si tibi obsequor, amicisque aliis, praesertim Viennensibus, aequa ita de me sollicitis, tum vero totus abstracthar, et iam cursitationibus deficiam, Patria certe multum dolente, quod sic spes cadat edendorum operum meorum.

Schupfhagen fugit quidem Veszprimio, sed tanto potentius reuocatus est, praesertim ab Episcopi anima: nam ipsa vmbra mihi quidem vix videtur horum aliquid curare. Accidit autem hoc cum meo quoque incommodo; qui apud Patronum, mihi tanta teneritudine affectum, quantum a Germano fratre exspectare non possem, vel grati animi caussa, Praefecti officium supplere debeo, nec humeris iam meis portandum, nec genio meo accommodatum. Haec ego ingenue fateri debui, vt tanto clarius pateat, me solum hac necessitate praestare obsequium, et optare quantocuyus solutionem. Atque vtinam Schupfhageno Successor aliquis quam citissime veniat! Et huc ergo trahor, neque alias negligere possum conditiunculas, quas mihi sors primas hic obtulit. Vides igitur me nunc quam maxime occupatum. Aegerrime exaro vel hanc ad te epistolam, sera iam nocte. Ignosce calamo deficienti, et corpore diurnis laboribus cursitationibusque defesso, et somno me sic debilitatum tanto pronia, premente. Vale quam optime. Theresiam saluto.

Viennae 13. Novembr. 1801.

Litteras tuas, quas ad me daturus es, malo ad vetus meum hospitium dirigi, quod nondum dirisi, neque dimisurus sum, ut minoribus sim impedimentis in domo Somogyiana.

Hic tibi habes Sabellicum ingentem: deproperante manu pro pulueribus atramentum sumsi.

### 55.

Nicolaus Michaeli Suo Salutem.

Calamus velociter scribentis. Nouum recentissimum, *magni* in re ecclesiastica momenti, etiam Ominis quam optimi. *Hodie demissa est Clementissima Resolutio Regia de restituendis in Hungaria Benedictionis, Praemonstratenibus, et Cistercitis. Quam dolendum, his rebus tam iucundis praemortuos esse, Archiabbatem,<sup>1</sup> et Praepositum Csornenensem. Accepere iam literas meas nuper fusissime scriptas. De argenteria tua scire cupio, an opus hoc mahirari aptet. Vale. Theresiam saluto.*  
Viennae, 20 Novemb. 1801.

A' Kánt szerént való Filosofiának rostálgatása levelekben. Magyarra fordítva és jegyzésekkel meghővíve. Pozsonyban, Wéber S. P. betűivel 1801. in 8. pagg. 109., 110. et 121 sqq. praecipue legantur.

(Ez utóbbi jegyzetet Paintner írta a levél hátlapjára.)

<sup>1</sup> Somogyi Dániel pannonhalmi főapát, ki maga sürgette a leghathatosabban a rend vissza állítását az 1790/91.-diki országgyűlésen és 1790. ápr. 13. az új király azon biztató válaszával távozott Bécsből, hogy óhaja teljesülni fog; egy hónappal a fönnebbi esemény előtt 1801. okt. 20. meghalt.

56.

Nicolaus Michaeli Suo Salutem.

12 Decemb. 1801.

Literas tuas postremas Patrono meo exhibere non potui; ne voto tuo, pro quiete mea ardentius expresso, in suspicionem iudicaret, haec inter nos agi ex composito; vt ab onere, ad grati animi significationem non pridem suscepto, tam cito iam absoluere. Recte ais, onus hoc humeris meis non esse portable. Nam vtvt valetudo satis confirmata fauere videatur, aetas certe, et cumprimis genius meus, ab huiusmodi cura, praesertim domestica, valde tamen abhorret. Eripior praeterea perficiendis tot in coepitis meis, quibus tu, tuique similes, tranquillam mihi vitam, et aliquantulo commodiorem, iam dudum precati estis. Sic fatum tulit, vt grati animi officium cum maxima mea molestia exhibeam. Angustiae mihi erant non modicae, quod tibi soli perscribo, alto silentio preendum; ne ad supplendum tantum munus initio vocatus, illi deinde penitus implicarer. Matris quidem is erat conatus, quae filium, nimio amore, domi in sinu suo vellet educatum. Vt huius rei spem omnem praeciderem, ex domo ipsa, quo sum primo grati animi impetu inductus, expleta una tantum hebdomada, rediui iterum ad vetus meum hospitium. Caussari poteram fortuna mea, cubiculi, quod mihi adsignatum est, incommodum studiis meis situm; quod sole, etiam clarissimo, semper tamen tenebricosum esset; praeterea quod strepitu personaret perpetuo, parte vna a domicellis, harumque nutricibus, et pedisequis, parte altera a familis. Et herulus etiam non vtique totus mihi esset concreditus: quod metu recidiui morbi, ex quo conualuit, sub cura potius parentum, in eorum cubili dormiret, et fere se nper cum matre esset etiam interdiu. Horas itaque studiorum solas haberem, quae satis numerosae sunt et domicellarum institutione. Conditionibus aliis renunciaui, praeter Grassalkovatsianam, quam dominum neque Patronus meus vellet offendii. His ergo curis, et cursitationibus, nunc ego totos dies distrahor. Multum temporis rapit et prandium, vnde me non possum statim expedire, quod et vrbanitas exposcat a prandiis confabulationes ad pellenda dominorum taedia. Atque sic ego, nec meus, nec tuus sum. Coenam quandoque deprecor, vt me dandis institutionibus praeparem. *Nam materias concinnare debo ad Systema Hungaricum.* Dum his occupor, fessus et diurno labore, et corpore prioris vitae incommodis satis fracto, obruor lascitudine, et subsequente somno: vt me nocturnis, vt antea, vigiliis minus imqendere possim. Illa itaque pulchra incopta mea, hoc quidem statu, nunc altum quiescunt. Et quiescent toto hoc anno scholastico. Nam nihil agi sentio de conducendo Praefecto. Mater sane, nimia connuentia sua, hanc curam quam longissime remouet. Ante dies aliquot Iuuenem quendam Sacerdotem, Schupfhageni commendatione sese insinuantem, praeter morem indignabunda repulit. Hunc iam annum consecro Optimi Patrini gratia. Te iterum obsecro, haec tibi soli scripti habeas, excluso etiam Takátsio.

Senselium nondum conuenire potui. Curaui tamen, vt epistolicum tuum ad se datum percepérít. Adibo iterum Virum bonum, et saepius

etiam, fortasse continget mihi vt eum domi reperiam. Ad Bibliothecam ire prorsus non possum, quod eas horas habeam occupatissimas.

Argentum tuum parabitur exeunte Januario. Quae postremo mandabas, habebis et ea, pretio sane moderato, illo — ad hunc apparatus destinato, florenis nempe 1100, nisi fortasse pondus argenti, perfecto opere, aliquantulo grauius fuerit, quam nunc est in calculum acceptum. Nam haec ita exacte praedici non possunt. Ceterum non multo plus addet. Potest vero euenire, vt minus etiam ponderet. Commisi artifici etiam Kapuváriana. Dabit operam, vt et haec eodem fere tempore cum tuis parentur. Querendissimum hunc Virum multa salute meo nomine imperti. Francisca manus tibi exosculatur pro monitis filio paterne a te datis. Wittmannum, Theresiani Spiritualem, in Theresiano salutaui, Vályium Amicus quidem Budensis scribit mihi 4-ta Decembribus sepultum esse. *Animat in me ad Supplicem Libellum Maiestati porrigidendum pro hac Cathedra, vnice meo in Linguam et Literaturam Patriam studio accommodata.* Multae sunt caussae, quare hoc facere nec velim, neque possim. Sed neque Patronus suadet. Si tamen consilium proprio motu me prouocaret, recusare non possem. Tóthius meus hunc hominem iugulaturus erat, nisi praemortuus fuisset. Communico tecum eius Opinionem. Haberes et tu vtionem quandam, si iam cadauer non esset, quod impeditum est. Vide, quid Tóthius de me nugetur. Hoc fortasse Consilio mentem meliorem posset iniicere, vt me prouocet ad ipsam etiam Cathedram. Ego tamen quietem, quam gestare coepi, praeopto. Gratulor te morbo tuo liberatum esse; deinde te, et tua, incendio non conflagrasse. Saluto Theresiam. Vale, et me ama.

## 57.

Nicolaus Michaeli Suo Salutem.

Viennae, 26. Jan. 1802.

Pecuniam a Teszszio rite percepvi. Nihil me magis inquietum reddit, quam pecunia aliena, apud me deposita; dedi itaque operam, vt omni me anxietate quantocytus liberem, tradidique sequenti illico die infäustum hanc curarum materiam Würthio, argentum homini argentario. Nunc ille tuto conflet, aut deuoret, hanc pestem, nihil ad me. Tu interim habe securitatis documentum, eius syngraphum. Conditionem, tibi oblatam lubens offert Würthius etiam Kapuvário. Subprior sero mihi videtur rediturus esse ex Silesia: quare solliciti sitis, velim, de alia occasione quam certissima. Vterque eodem tempore redimetis argentum vestrum. Sed, quaeso, semperne de argento?

Indignatum te esse credo tam diurno silentio meo. Quid enim, tantine apud me es, vt vel occupatissimus non ad te scribam aliquid? Occupationes me ergo meae non excusant. Sed fortasse magis seruandi arcani studium, in domo praesertim ministeriali. At quid est apud nos arcani, cum vos tam operosi tanta inferius decernetis, et praeuertitis rerum arbitros ordinationum maturatione?

Opportune tamen haec vos facitis: nam voce Patriae audita cogi-

tant Viri isti nostri aliquid ad rem, tametsi non loquantur. Patronum oblecto amicorum litteris, praesertim tuis, et satis ridemus, cum soli sumus.

Sed quam tu inconstans es! Exclamas enim, quae mutatio dexterae Excelsi! quod Piaristae Jesuitas laudent. Et alteris literis tuis laudator, Schafrafratus praesertim, iam minor est Excelsi dextera inflammato Encomiaste. Amo te tamen de tuo amore mei; quod aliquod tribuas meo vos laudandi studio. Fortasse et meum in hoc amorem sentis magis sincerum, hocque est potius, quod te oblectat, non vena mea exilis. Audi, quid simus iocati tua ista exclamatione prima. Sed me excipi volo, quem tu satis, opinor, nosti. Sensu vulgi sumus locuti. Piarista quidem laudabit Jesuitam, modo moriatur. Risimus, quod aliquid veri latere intelligeretur hac in re.

Etiamne stellas, et constellationes, mihi ortas vides? Vtinam amori tuo deferant Superi, et vota audiant tua! Sed hem! quam exiguis sum, Violaceo quidem splendore nunquam ero conspicuus, quem vtique neque opto, sic me noui metiri. At sortem aliquanto commodiorem precor, ne alterius sim, sed Patriae, sed lucubrationum Patriae caussa susceptorum. Hae tamen, quantum sunt iam amo superiore impeditae! magis autem isto! Tu interim satis veridicus es astrologus, si conuersionum mearum initio non me fallunt. Patronus quidem meus eam rem valde promotam cupit. Vix est *Vályius* sepultus, iam datae ad me literae me magnopere animabant ad petendam hanc cathedram. Suspicabar has Szuneritsio auctore scriptas fuisse. Accidit postea, vt Szuneritsio augmentum salarii quinguentorum florenorum decerneretur altissima voluntate. Hoc illi solatum per me illico perscribi voluit Patronus. Quo facto ecce ipsas elicui Szuneritsii literas. Volunt ergo Dii minorum gentium me Pesthini degere. Si et maiorum gentium Dii idem volent, vt et hi velle videntur: opportunno ero certe loco, quo me imprimis arguento mouit Szuneritsius, ad continuandas lucubrationes meas. Communico tecum huius epistolium, Consilii item Intimatum postremum, in adiecto hic foliolo. Peruenitne ad te etiam aliqua de me mortuo fama? Haec Tóthium meum valde anxiū reddidit; mihi vero risum mouit, quandam etiam oblectionem attulit, Nam excitata est illico meorum scriptorum sollicitudo: quorum pretium vix aliquod sensi ad hunc usque diem; sed aerumnas potius ex iis mihi natas. Audi ipsum Tóthium. »Indignor lethifaris nunciis. Rem sic habe. Postridie fere, quam meas ad te vltimas dedisse, accepi Pesthino literas, 24 Decembbris redimendas. Non satis nota erat in inscriptione manus. Aperio. Comparent quatuor exempla Kultsárianorum Versuum Vngaricorum, in laudes Prayi editorum, cum adiecto epistolio, cuius secundus idemque vltimus parragraphus sonat. Révayum decessisse litterae Strigonio adlatae nunciant. Optarem falsam esse famam. Si tamen extinctus est, vide, vt M. S. 8. de Latiatuc feleim, item aliam in Librum Ruth Latinam Commentationem, sub textum Hungaricum descriptam, pretio quoquis redimas. Pro utraque, cum aliis, etiamsi minutis eius adnotationibus lubens 200 fnos offero.«<sup>1</sup>

<sup>1</sup> Guzmics erre megjegyzi »Szép még élve tudnunk, mit fognak majd rólunk itélni embereink, ha egyszer meghaltunk. Révainak ezt tudni örööm volt.« Tud Gyüjt. 1830, II. k. 32. 1.

Affinis tuus cum Sorore tua me in hospitiolo meo inuisit, ante duas fere hebdomadas. Doleo me non potius se cum iis conuenire, occupatum Heruli institutione. Sero rediui, et maturabam eos in diuersorio salutare; sed in casum me fatigauit, tempore pluuiio, et rheumaticis doloribus vexatus adeo pertinacibus; vt ex iis postea decumbere debuerim, iacuerimque fere vnam hebdomadam. Obsecro te, neque Senselium conuenire adhuc potui de rebus tuis. Dum adiri posset, ego non sum liber. Solatus est me Patronus nudius tertius, se iam sollicitum esse de Praefecto. Vtinam quantocytus! Vale, quam optime, et me redama.

## 58.

Nicolao Martinus S.<sup>1</sup>

Pro votis noui anni, humanissimas ago, habeoque gratias, et paria reddo. Vtinam et Xenium par tuo reddere aliquando possim! Vt primum Illustrissimum Dominum Status Consiliarium denominatum audiui, optimas spes concepi: noui eius animum, Deus illi retribuet. Statio Vályiana Pestini non est vltima: quot septimanis quatuor dumtaxat habet praelectiones: salarium eius est in 600 suis. Quanta praetera commoda? Bibliotheca amplissima; consuetudo Virorum eruditorum; et sexcenta alia, quae vniuersa ad continuandas elucubrationes optime facerent. Ad quietem praesentem redire semper posses. Dum et quando luberet et quidem cum ampliore pensione. Quam paeclaro eo sit cathedra, inde aestimare potes: quod *Dugonitsius* dato iam libello supplice hanc votis omnibus expetat. In reliquo delibera: tempus habes sufficiens; vacans enim per vniuersa Instituta Literaria hodie declaratur; vt quibus eo animus est, Instantiam Magistratui Academico Vniuersitatis vsque primam Martii exhibere possint. Tothius noster cetera narrabit. Vale, et mei porro memor viue. Raptim. Budae, 5. Jan. 1802.

26729. Sacratissimae Caesareae, et Regiae Apostolicae Maiestatis Consilii Regii Locumtenentialis Hungarici nomine: Reuerendo Wolfgango Tóth, Gymnasii Soproniensis Directori, decretandum: Erga Eiusdem, in Consequentiam Ordinum de dato 11 Augusti 1801 Nro 16086 dimissorum, sub 35 Nouembris a. c. praestitam Relationem, penes remissionem Prouocatorum omnium Actorum praesentibus committendum: vt conformiter opinioni fundate depromtae, erga laudabilem- promtamque de Publico bene merendi Voluntatem *Nicolai Révay* iam alias saepe cum satisfactione contestatam, curam elaborandae Grammaticae huius Hungaricae, in mutua Cointelligentia, Eidem deferat, eo subnexo; vt, cum Meidingeriana Grammatica Italica, et Gallica, methodum doctrinae eam habeat, quae communem apud omnes adprobationem tulit; in elaboranda hac Linguae Patriae Grammatica methodum eandem, in quantum Linguae (Patriae) huius indoles admittit, sequatur: subinde autem, vbi eam parauerit, cum remissione omnium communicatorum Actorum, medio

<sup>1</sup> Szunnerits Márton levele Révayhoz; ez közli Paintnerrel.

huiusce Directoris, Consilio huic Regio Locumtenentiali quo ocius submittat Franc. Szent Iványi, m. p.

Ex Consilio Regio L. Hgro  
Budae die Xbris 801 celebrato  
Samuel Lang, m. p.

Directori Gymnasii Soproniensis Wolfgango Tóth.

59.

Nicolaus Michaeli Suo Salutem.

Quia nihil noui possum ad te scribere, quod tu non antea ex aliis vbertim rescias; malo iam abstinere hoc toto literarum genere, et tua tantum praestolari, quibus opportunius interloquar. Tu ergo tam promtus eras futurus ad laudandum Fenglerum? Indignor; mihi crede, iam et hoc nomine, Fratrum iugiter rixantium Venerabili collegio; quod hanc exerendae facundiae tuae occasionem tam maligne, vt mox audies, ereptum ierint. *Non itaque reddet mutuum Piaristae Ordo Vester*, sed in aere manebitis alieno, dum mitiora veniant tempora. Sinite nos pro modulo nostro officiosos esse. Nondum mensuram aequauimus, tot Poetae, et Oratores, quam vestrum quisunque non plene refundat, vel vnico saltem carmine, aut dictiuncula quacunque.

Communicauitne tecum Majláthus et epigramma suum, Fenglero, curandae Valetudinis caussa Viennam eunti, datum?

Janus Pannonius Quinqueeccliarum Episcopus  
in laudem Quarini Veronensis

Panegyricum scripsit;  
et in epigrammatis etiam suis  
multa illius cum laude meminit.

Josephus Jaurinensis Episcopus  
ad Quarinum Vindobonensem

valetudinis recuperandae caussa tendit.

Janus Pannonius multa ornat laude Quarinum;  
Ac merito; dignus laude Vir ille fuit.

Materies laudum mihi eris, celebrate Quarine!

Fac tantum, redeat Praesul vt incolumis.

Tunc maius mea Musa canet; maiorque Quarino,  
Quem Verona dedit, Vindobonensis erit.

A. M.

P. P. et C. E. Jaur, Can. m. p.

Nunc audeat quisquam Pápótiensem Praepositum arguere de ingrato in Collatorem suum animo; quando isto autographa supersunt pietatis monumenta! Et tamen multum indignor, et isti Pápótiensi, et ceteris. Verba et fucus!

Fenglerus Viennam se contulit ad tentandam desperatae valetudinis curam: in cassum certe, opportune tamen, vt hic tranquillus moretur. Morbi grauitate iam adeo premebatur; vt cum eo semel tantum colloqui potuerim, quando eum salutandi caussa primum adiui. Cum secundo comparui, iam me non nouit. Sequenti vero die iam extensum vidi. Festo Purificationis confessus est, et communicauit. Quarta deinde

Februarii repetit eadem Sacraenta, etiam extreme unctus, hora secunda pomeridiana, praesente, et animam Deo commendante Confessario, Sacerdote Dominicano, in sinu Mayeri sui expirauit, ad album bouem, e regione telonii.

Mayero quantae illico angustiae obortae. Nullae a Fenglero factae ordinationes, licet identidem moneretur. Quae secum attulit pretiosa, et in aere: ea Mayerus illico tradidit Camerae, vt curas minueret. Postea, quae pietatis erant officia, eorum satagebat. Misit Jaurinum cursorem celerimum de morte. Sed Capitulares huic fidem adhibere negarunt, vexationem, et temptationem subesse rati praeclarae suae in Episcopum propensionis. Nam haec eo adhuc viuente non vtique satis clara fuit. Mayerus, quasi praesagio quodam admonitus de officio per hos negligendo, mittit et alterum cursorem die sequenti, ordinesque, cum Episcopo Rozsos de transponendo corpore exanimi factos, perscribit. Hoc auditio Capitulares statim insignia dederunt solita venerationis suae indicia; apertam indignationem; se quidem per Mayerum a tali molestia liberari potuisse; nam, Viennae mortuum, cur non itidem Viennae sepeliendum curauit? Ante omnia Capitularis Vicarius confirmatus est Scharlach. Actum postea de exequiis, de oratoribus. Balogio, Quintiliano Jaurinensi delata est Laudatio Latina; Hungarica Szegedio Albensi Canonico; Germanica, — cui? — cui? — cui? Praemonstratensium Exempti Candidi Ordinis Praeposito Infuslato — Rháthóthensi! Quot adspirationibus scribo nomen in re adeo desiderata. Quid enim accidit? Dum ista pauci propoununt, plures contra gruniant; in Fenglero non esse laudum materiem, cui itaque, bono, aut sano incidat oratores fatigare? Vides, quam isti otio tuo consuluerint. Exequiae, futurae mense Maio, si Oratoribus opus fuisset, nunc defixae sunt ad 10 diem Martii.

Mayerus promouit Exuuias, et comitatus est, vsque Mosonium. Parochis, qua itum est, et piis, et obsequentibus. Honores Episcopo debiti vbique rite exhibiti. Sed Mosonii obuius fit Marton Canonicus, non qui Exuuias recipiat, sed Capituli ablegatus Viennam, ad occupanda pretiosa. Ex hoc intelligit Mayerus Capituli mentem, et praesentiam suam iam ingratam ratus, Parochum Óváriensem requirit, solutis omnibus expensis Postalibus, quae reliquae erant vsque Jaurinum, vt Exuuias eo deduceret, ipse vero pulchre Viennam rediit. *Nunc ego insolescentibus istis Ranis Ciconiam precor a Joue Episcopum.* Hic tamen Anser erit. Sic stridorem intelligo satis clarum. Nec sic male: modo *mas* sit hic Anser, vt inter *olores* marem esse dictitant. Sed tu de his plura nosti, et certiora, ex Consiliis vestris sanctioribus.

Sed mirare relictam substantiam. Comessatorem vocabant vulgo hunc Episcopum. Postremis tamen annis parsimoniae studuit. Viennam secum attulit 26 millia in schaedis Bancalibus, et Obligationibus. De his 20 millia erant destinata Piaristis Josephinis. Sed hanc donationem, inter viuos faciendam, praevertit mors opinione celerior. Pretiosa itidem 26 millia fere aequalunt: donum Mayero destinatum, sed non apto tempore illi traditum. Honestus Mayeri animus abhorruit postea ab inuasione. Praeclare illi consultum est in Domo Czinderiana. Sed quid Granero

obtigerit, nescio. Fortasse et illi *Ingens Nihilum*. Praeterita aestate narrabat mihi in Rákos; se Veszprimii 7 annos seruiti perdidisse pro Lia lippa; nunc in id dare operam, vt Rachelem mereatur apud Jaurinensem. Sermo noster Hungaricus erat. Placuit mea allusio. De ötsém! esméréd e Lábán Uramat (a pedum rumore)? Ha meg nem tsalod, Jákob példája szerént; ô ugyan bizony téged jól megtsal. Sokat igér, de keveset teszen. Sed satis de his.

Argentum vt Tessio tradi possit, valde curo. Nimia experior, offices, et artifices omnes mendaces esse. Ceterum tu argentum habiturus es pro charta. Sapis cum Venetis. Apud hos ante paucos dies imago prodiit: in qua Leo S. Marci sese exonerans aureos fudit. Aquila pone stans hos auide hausit; sed iniquae digestione, pro aureis, schedas bancales egessit. Ad detegendum auctorem praemium illico propositum a Gubernio in literis patentibus. Sed vide insolentiam. His ipsis literis adscriptis statim occulta quaedam manus interrogationem: aurum ne pro praemio, an schedae bancales obuenturae sint indici?

Gratias tibi habeo de votis ad Pestanam Cathedram. Sed, amabo te; nosti illud vulgi dictum: *a' tök is estve virágzik*. Insani homines me validum neglexerunt; nunc moribundus miracula illis patrem. Sed vale, et me ama. Iam deficio charta, non vero materia.

## 60.

Nicolaus Michaeli Suo Salutem.

Impetraui tandem a Würthio ponderum consignationem. Homo potens praecise loquitur: si argentum vobis non placet, id tuto sibi remitti posse, nullum, sibi damnum inde futurum. Si Tessius nondum discessit, trade illi vna et tuum schediasma; quo telonii, et tricesimae, molestiae leuentur. Würthius pro vtroque vestrum putat uno tantum opus esse. Ponderi vacuum poscit locum, quod ipse est inscripturus. Siue abiit iam Tessius, schedam ego sum pro vobis datus, eodem fortasse valore. Unterzeichneter hat zwey Küstel an ungearbeiteten Silber an Gewicht... zu seinem eigenem Gebrauch und eigener führ nacher Weszprim ersuchend ein lóbliches dreyssig- und Mauth Amt als Eigenthum frey passiren zu lassen.

Haec mihi Würthius celeri calamo, et confuso, vt vix legere potuerim. Quae vitiosa sunt, tu emenda.

Vltaimas literas meas legeris certe totus admiratione et stupore abreptus; praesertim, si iam et Orator requisitus est interea. Quae scripsi, erant verissima, per vota Capitularium sic definita. Canonicus Marton, Mayero Mosonii obuius, haec recentia Fratrum decreta, vltro et indignabundus narrauit. Mayerus conterritus, desertis Episcopi Exuuiis Viennam rediit, et eadem mihi, aliisque, indignabundus retulit. Exerta primo illo dolore grauior Mayeri et Parochi Mosoniensis expostulatio: Nihil opportunius fieri a Capitulo posse, ad confirmandam pertinacem suum animum, Episcopo suo semper refractarium, semper infensum. Haec, et plura Parochus Mosoniensis Capitulo feruidius oggessit eosdem adhuc

die, meliore itaque consilio, et mente seniore, res prior foeda certe, et indigna, per vota Fratrum decreta, repente abolita, et in meliorem mutata est. Hoc factum esse nunc valde gaudeo.

Tu itaque Germanicus Laudator es. Mayerum, qui Episcopum intimius nouit, quam ego, iam rogaui; vt laudum materiam nobiliorem, et magis arcanam, consignaret, tibi quantocvus submittendam. Probe et hoc fit, vt etiam Majláthus loquatur, de tam pingui Collatore suo. Latinus hic Laudator est. Hungaricus autem Szegedi, Albensis Canonicus. Sacrum Lugubre habebit Episcopus Albensis: Gloriosum vero Episcopus Szabó. Sed ista tibi certe iam nota scribo.

Ad has exequias veniam et ego cum Mayero, tum vt pietatis officium praestem, tum etiam, vt tecum colloqui possim de rebus meis, quas literis committere non gaudeo. Patriae caussa tu quidem mihi iam dudum quam optima cupis; otium honorificum, et praesidia tanta, vt tranquillo mihi esse liceat ad illas, quas a me poscisitis, *lucubrationes iam tandem in lucem proferendas*. Quomodo autem ego ista consequor? aut quia sum consequendi spe? Insidiae mihi vnde struuntur. Circumsistunt me complures, tenero amicitiae nomine solantur; mihi, tam bene merito, exiguo tamen praesidio gaudenti, se suppeditaturus esse, vnde beatior viuam. Quomodo autem? eiusmodi oneribus mihi inpositis, a quibus natura abhorreo, et quibus omne mihi tempus eripitur, quod vos Patriae sacramendum optatis. Quos ego — sed motos praestat componere fluctus. *Sollicite exspecto Pestinensis Cathedrae exitum.*

Habe aliquid ex Tóthii nostri literis, hodie perceptis. Lepidum est, ait ille, quod accidit. Scis Weghofferum, Kismartonensem Parochum, valde apud Episcopum fuisse gratiosum. Ad hunc, ante biennium fere, cum hilarior esset, dixerat Episcopus: Si praemortuus fuero, ipsum statim post triduum ad me citabo. Ego autem, si praemortuus fuero, reposuit ille, statim post tres horas Excellentiam Vestram ad me inuitabo. Quid fit? Weghoffer Kismartonii 7 Februarii reipsa etiam est mortuus, ex graui, quo diu conflictabatur, morbo. — Scis Episcopum 4 Februarii decessisse. Quam seria, et quam certa proferuntur, inter ipsa etiam pocula! Ego, vt me deficere in dies sentio, tibi certe praemoriar: te tamen, Patriae multo utiliorem, licet mihi clarissimum, non inuito ad Elysii epulas. Nunquam eo sero venitur. Vnde quam longissime, et quam beatissime. Mihi alterum nunquam licuit, alterum iam satis obtigit. *Non inuitus decadam de hoc theatro.* Vos valete.

In Conferentia hesterna Personalis denominatus est, Andreas Semsei, cum eodem salario quater mille florenorum, quod antea habuit, qua Cameræ Aulicae Consiliarius. Hodie iam sacramento obstrictus est. Grün quidam, de belli ducum ordine, natione Belga, Coronæ Principi Educator datus est. Non ergo Majláthus. De Hofstättero adhuc rumor est, eum studiorum fore Magistrum. Rideo, et sapidissime quidem rideo, hominum stultitiam, quod tantam prouinciam Görögö putarunt committi posse. Ceterum quid prohibet? Eveniunt multa certe multo stultiora. Reuereor humanissime Reuerendissimum Dominum Kapuvárium. Quem praeterea?

nemo mihi incidit, quem quidem mihi bene cupere sciam, praeter Theresiā. Et hanc saluto.

Indignor hodiedum epistolae tuae, 19 Novembris ad me datae. Quam praeclare exortus es. Obstupuisti, cohorruisti, amicissima plenus mei sollicitudine: quod oneri, Angelicis etiam humeris formidando, me subiecerim, ad exhibendum grati animi officium. Eram hac epistola in rem meam vsurus, ex mente etiam tua, et ex voto meo. Sed hem! infensus tuus calamus hominem adgreditur, retro nimium colore, infelicem illum, quem sic descriptum Patrono exhibere non potui. Vtinam hoc non fecisses! Mitiora sunt mei de hoc sensa, aut saltem mitiora p̄ae se fert. Haec ego mutare non potui sine imprudentia, sine scelere. Vale quam optime. 26. Febr. 1802.

Patronus, et Illustrissima, te iterumque salutant, idque expresse identidem adscribendum iusserunt. Vale.

## 61.

Nicolaus Michaeli Suo Sulutem.

Valentinus Barbarits, Benedictinus, Comaromiensis Gymnassii Exhortator Vir optimus, et vel breuissimi illius contubernii vsu mihi amicissime coniunctus, per literas ad me datas, egit impensius: vt Sacri Montis Pannonii Restitutionem aliquo et ego carmine celebrarem. Vix vnquam tempore magis ingrato, et magis molesto, mea poscebat imbecilla Musa. Nam, et oculorum affectionibus pertinacius obruor; et fato etiam meo indignans, sereno, quem carmina volunt, animo esse non possum: quod me ira Deorum, etiam rude donatum, Paedagogum esse cogant, eumque domesticum; a quo munere totus semper abhorrei, propter importunas, et noxias, Matrum praesertim blanditias. Vtinam et huic Domui, cui multis sum nominibus vehementer obstrictus, a dulci hoc vitio non illud eueniat malum, quod anxie praemetuo! Haec me muto corde prementem, et satis etiam corpore aegrotantem, stimulare coepit et *ipse Somogyius*, intellecto Barbaritsii desiderio. Est Deus in nobis, agitante calescimus illo. Incalui enimvero, vel tristis etiam, et morbidus Poeta. Ipsi Somogyio placuerunt primi ignes mei. Postea tamen, collatis cum timido *Lányio* consiliis, et ipse subuerteri coepit; ne istae flammae, paulo vehementiores, vel Aulam, vel Aulicos nonnulos offenderent. Horum itaque manu obstrice foetus meus prodit mutilus, minus viuax, et fere semiuir, me quidem inuita. Ferre debui haec vulnera propter honorem Dedicationis celiosorem. Voluit enim Somogyius, feliciterque impetravit: vt ista carmina mea Palatino inscripta splendidius prodirent! Curabo vt eorum exempla habeas copiosiora, Jaurini certe per Mayerum. Me enim infelix conditio mea prohibet ab hac optata mihi occasione tecum conueniendi. Resectas tibi partes praemitto. Conserua illas, vt et Somogyius conseruaturum se opus integrum satis cupide declarauit, ex manuscripto primo. Duobus (pro) paragraphis, non paucis proinde versiculis, diminitum nunc est Carmen meum, et tanto contractius.

1 Eheu quae denses nubes, longamque minatae  
     Noctem, quam moestis incubuere iugis !  
 Diuum contemtrix, temeraria saeuit illic.  
     Impietas, audiam conselerata manum.  
 Orci progenies, rectam seducere mentem,  
     Cunctaque docta nouis vertere consilii,  
 Mendax ipsa adeo subiit penetralia Regum,  
     Conficta celans vtilitate dolum.  
 Ibat Avarities comes illi, sedula rapto  
     Regum diuitias amplificare bono.  
 Pone sequebatur petulante Licensia gressu ;  
     Fraena cui obtendit sobria Relligio.  
 Impetit hanc acies, sociis audacior armis,  
     Conserta feruent horrida bella manu.  
 Ludibrio sunt Ararum, pia turba, Ministri ;  
     Protinus et Sacrae diripiuntur Opes.  
 Relligione, pia Regum Custode, repressa,  
     Elate Impietas iam manifesta furit.  
 Perniciem spirans, delusis Regibus instat,  
     Heu ! quot regnorum seditione ferox.  
 Mons Sacer ! Odrysium satis olim experte furorem  
     Moestaque vindictae tempora Tartaricae !  
